

Nitidiorem enim cultum recipiunt si ad lumen attendant. Latitudo XV. pedibus ² disponatur, & in singulis parietibus ³ VIII. pedes relinquantur. Equilia ⁴ calidis locis ordinentur, & obscuriora fiant, ut securi equi pabulentur. Ovilia, & Caprilia pro magnitudine agri componantur. Cella vinaria contra frigidissimas cæli plagas collocetur. Lumen fenestræ a Septentrione tribuatur: ut undique frigidus aer vina incolumia servet. Vapore enim omnia corrumpuntur. ⁵ Torcular hujus in Septentrionem ponatur. Cella autem olearis in meridie constituenda est: fenestræ ab eadem parte tribuantur, ne frigore oleum ⁶ cum sordibus retineatur, & suavitas saporis pereat. ⁷ Torcular hujus in meridie statuatur: magnitudo pro abundantia rei fiat. Granaria ad Septentrionem, vel Aquilonem spectent, ut aere gelidiori fruges tutius serventur. Vaporatæ enim regiones curguliones, & alia genera bestiolarum nutriunt. Quæ fruges corrumpunt. Horrea, fenilia, pistrina extra villam sunt constituenda, ut ab ignis periculo villæ sint tutiores. Si quid vero melius, ac nitidius facere volueris, exempla de Vrbanis fabricis fumes.

XIII.

De dispositione operis Urbani.

VRbani itaque operis gratiam luminosam esse ¹ oportet: præsertim cum nulli vicini parietes impedian. Disponendum erit tamen ante, ut certa genera ædificiorum cæli regiones apte possint spectare. Hiberna ergo hibernum occidentem spectare debent, ² quoniam vespertino lumine opus est. Nam sol occidens non solum illuminat, sed ³ pro vi caloris tepidas facit regiones. Cubicula & Bibliothecæ ad orientem spectare debent.

¹ VI-

expectentur, sed proculdubio mendose. Vitruvius (Lib. VI. Cap. 9. in quo de rusticorum ædificiorum rationibus agit) *Coniuncta autem* (culina) *habeat bubilia*, quorum *præsepio ad focum*, & orientis cæli regionem spectent.

² DISPOSATVR] Sic Cod. R. 2. At Cod. R. 1. *quod ponatur*: & Ed. V. *componatur*.

³ VIII.] Cod. R. 2. numerum exhibet VIII.

⁴ CALIDIS] Consentit hæc lectio Cod. R. 2. cum Vitruvii præceptis. Cod. R. 1. & Ed. V. habent *cardinis*.

⁵ TORCVLAR HVIVS] Nimicum hujus cellæ vinariae; quod scilicet usui esset cellæ

vinariae. In Cod. R. 2. deest pronom. *hujus*.

⁶ CVM SORDIBVS RETINEATVR, ET SVAVITAS] Ita Cod. R. 2. cuius lectio nem, ceu clariorem, præferendam ratus sum. Cod. R. 1. & Ed. V. *cum sordibus & suavitatis saporis*.

⁷ TORCVLAR HVIVS] Hoc est, *hujus cellæ olearis*.

¹ OPORTE] Verbum hoc in Cod. R. 2. retrorsum est post verbum, *impedian*.

² QVONIAM] Legitur in Cod. R. 2. Sed in Cod. R. 1. *quonodo*. & in Ed. V. *quum*.

³ PRO VI] Seu verba hæc in Codice aliquo invenerit is, qui præfuit Valsorani Editioni, sive ex ingenio emendationem adulterit, cer-